



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Nuptiae Constantii Caesaris filii Constantini. Cap. XLIX.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**

*Quòd Nicænum consilium vicesimo : Encæniorum  
celebritas Hierosolymis tricesimo eius  
imperij anno habita sit.*

*CAP. XLVII.*

**H**Vnc secundum conuentum, quem equidem scimus maximum, post illum Bithiniæ clarissimum Nicænũ, ipsis Hierosolymis imperator collegit. Sed ille Nicæanus triumphii nomine, vicesimo imperij anno constitutus in ipsa vrbe Nicæa Νίκαια .i. præclaram de hostibus victoriam reportabat. Hic verò Hierosolymitanus, tricesimum eius imperij annum decorabat, in quo imperator Martyrium consecrans circa ipsum seruatoris monumētum quasi donum quoddam pacis, Deo omnium bonorum largitori offerre visus est.

*Quomodo non tulerit quendam Constantinus  
cum ab eo immodicè predicaretur.*

*CAP. XLVIII.*

**H**isce iam rebus omnibus absolutis & confectis, cum per omnium ora de maximi imperatoris virtute fama volitaret: ausus est è sacerdotibus aliquis illum in os beatum dicere, quippe qui tum in hac vita dignus esset, qui summam rerum omnium potestatem haberet, tum verò in futura cum filio Dei vna regnaret. Sed is cum se hæc moleste audire significasset: hortatus etiã est, ne auderet aliquando eiusmodi vocem vsurpare: sed à Deo potius precibus contendere, vt & in hac vita & in futura Dei famulatu dignus videretur.

*Nuptiæ Constantii Cesaris filii Constantini.*

*CAP. XLIX.*

**C**onfecto igitur tricesimo imperij anno, quoniam iam multo ante grandioré natu filium in matrimonio collocasset: secundo filio nuptias apparabat: In quibus omnium lætitia celebrata fuere conuiuia: cum ipse imperator sponsum filium manu deduceret, conuiuiumq; splendide & magnificè instrueret: cumq; separatim virorum cætus, separatim etiam mulierum choros, præterea vniuersos

P p 5 popu-

EVSEBII DE VITA

populos & ciuitates satis largè & prolixè muneribus afficeret.

*Indorum legationes & munera.*

CAP. L.

**E**odem ferè tempore, aderant ab Indis orientalibus legati, qui dona Imperatori afferebant, in quibus erant omnia propè clarissimarum & preciosissimarum gemmarum genera, animantia etiam tota natura ab hisce nostris discrepantia: quæ omnia ad imperatorem deferebant, vt significarent eius imperium vsque ad vltimam oceani oram pertinere, principesque Indorum picturarum & statuarum muneribus declarare, se illum cum summa potestate omnium imperatorem & regem agnoscere & profiteri. Ita accidit, vt ei primum ad imperium venienti, initio Britanni ad vltimas ferè occidentis solis oras oceano cincti parent: nunc verò postremum, Indi in extremis orientis partibus siti.

*Quemadmodum dispartito inter tres filios imperio illos artibus instruxerit, quæ imperatoris maiestati ornamento forent.*

CAP. LI.

**V**T verò vltimis orbis terrarum finibus victorias suas terminasset, vniuersum imperii statum tribus suis filiis partitus est: quod tanquam hæreditatem paternam pius pater charissimis liberis assignabat: Cum auitam sortem grandiori natu filio: orientis partes, huic ætate proximo, quod vero inter hæc medium interiacebat tertio filio tribueret. Sed cum vellet hanc eis fortunam feliciter cedere, & ex animorum salute esse: pietatis etiam in eis sentina sparfit, cum suis diuinis præceptionibus, tum magistrorum diligentia, quos omnibus virtutibus insignes eis præfecerat: quemadmodum etiam & in aliis disciplinis eos asciuerat qui essent in suo genere consummatissimi. Nam alij eos bellicis disciplinis exercebant: alij præceptis de Re-pub. imbuebant: alij legum peritos efficiebant. Iam apparatus & splendor singulis regius tributus est. Armati, satellites, stipatores, & omnis generis, ac ordinis milites:

Tum